

z. B. A. h

W. A.

J. q. 259.



DISPUTATIO QUINTA
In Augustanam Confessionem

continens

DEIN ARTICULI III.

De

CHRISTO,

Proposita

In almâ VVittebergenſium Academia,

P R Æ S I D E

JACOBO MARTINI, S.S. Th.

Doctore & Professore Publ.

R E S P O N D E N T E

JOHANN E R A B O

Weiffenbronnâ-Franco.

*Habebitur in Auditorio Collegii veteris
ad diem 7. Septemb.*



W I T T E B E R G Æ

Typis Hæredum SALOMONIS AVERBACH,
ANNO M DC XXVIII



In Augustanus Consistorium

CHRISTO

JACOBO RABO

JOHANNES RABO

ANNO MDCXXVII





DUCE CHRISTO.

Continuatio.

VT ordine naturæ hæc se invicem consequuntur 1. Creatio hominis. 2. ejus lapsus, & 3. ejusdem restauratio: Sic confessio nostra hunc naturæ ordinem & successionem statuum, in quibus necessario fieri solet hominis consideratio, argute imitatur. De Deo enim primo, summo, absoluteq; bono, rerum omnium principio primum; de hominibus lapsis, secundum; tandem de restauratione, quæ per Christum facta est, tertium Articulum Confessio nostra condidit. De hoc ergo nunc agendum.

THESES.

I.

Verba articuli hujus ita habent: *Item docent* (nostræ Ecclesiæ) *quod Verbum, hoc est, Filius Dei assumerit humanam naturam in utero beatæ Mariæ virginis, ut sint dua natura, divina & humana in unitate persone inseparabiliter conjuncta, unus Christus, verè Deus & verè Homo, natus ex virgine Maria, verè passus, crucifixus, mortuus & sepultus, ut reconciliaret nobis Patrem, & hostia esset non tantum pro culpa originis, sed etiam pro omnibus actualibus hominum peccatis. Idem descendit ad inferos & verè resurrexit tertia die, deinde ascendit ad Cælos, ut sedeat ad dextram Patris & perpetuo regnet & dominetur omnibus Creaturis, sanctificet credentes in ipsum, (misso in corda eorum Spiritu Sancto, qui regat, consoletur, & vivificet eos) ac defendat adversus Diabolum & vim peccati. Idem Christus palam est rediturus, ut judicet vivos & mortuos &c. juxta symbolum Apostolorum.*

A 2

II. Ubi



II. Ubi etiam juxta methodum nostram observanda est *Caroli Caesaris & Catholicorum Romanensium ad articulum hunc tertium responsio*, his verbis proposita: *In tertio Articulo nihil est, quod offendat: cum tota Confessio cum Symbolo Apostolico & cum certa fidei Regula conveniat: Filium Dei scilicet esse incarnatum, humanam naturam assumpsisse in unitate personæ, natum ex Maria virgine, verè passum, crucifixum, mortuum, descendisse ad inferos, resurrexisse tertia die & adscendisse ad cælos sedereq; ad dextram Dei.*

III. Et Apologia Augustanæ Confessionis: *Tertium Articulum*, inquit, *probant Adversarii, in quo confitemur duas in Christo naturas, videlicet naturam humanam assumptam à verbo in unitatem Personæ suæ. Et quod idem Christus passus sit ac mortuus, ut reconciliaret nobis Patrem, & resuscitatus, ut regnet, justificet & sanctificet credentes &c. juxta Symbolum Apostolorum & Symbolum Nicænum.*

IV. Confirmant idem *Johannes à Daventria & Johannes Cochleus*: Quorum ille ita scribit: *Hunc similiter articulum à Catholicâ Ecclesiâ mutuati sunt, qui & impollutus est. Cochleus autem: De hoc Articulo, inquit, neq; in Confessione, neq; in Apologia ulla est discordia inter nos & illos: Utinam & ceteri tales essent, ut nulla discussione opus foret.*

V. Deinde etiam præmonendum est passum esse in hoc quoque articulo virgulam censoriam Confessionis prototypum, idq; bifariam. Nam quo loco editio Germanica de Christo habet, *quod sanctificet credentes in ipsum, misso in corda eorum Spiritu sancto, qui regat, consoletur ac vivificet eos ac defendat adversus diabolum & vim peccati*: Spuria illa sic habet: *Sanctificet credentes in ipsum, misso in corde eorum Spiritu sancto & sanctificationis det vitam eternam.* Deinde ad verba Prototypi; *ut judicet vivos & mortuos*, addidit *secundaria: Resuscitados.*

VI. Mutationem hanc nonnulli excusant dicentes, *quia in Prototypo, quæ de defensione adversus diabolum & vim peccati dicuntur, sic postea sunt, ut de Spiritu sancto dicta esse intelligi possint, cum ad Christum pertineant; huic ambiguitati excludendæ remedium esse in secundariâ mutatione allatum.*

VII. Ve-

VII. Verum sanitati quid opus remedio? Cum enim opera Trinitatis ad extra indivisa sive communia esse fides statuat & Ecclesia, scrupulo, simplicioribus moto, non fuit opus, ut in communibus illis operibus inter actiones Personarum in Sacrosancta Trinitate distingueretur. Taceo, quod editio Germanica sic ista omnia evincat, ut operibus istis in Ecclesia Christum, mediante Spiritu sancto, defungi expressè doceat, his verbis: Auffgefahren gen Himmel / sitzend zur Rechten Gottes / daß er ewig herrsche vber alle Creaturen / vnd regiere / daß er alle / so an ihn gläuben / durch den heiligen Geist / heilige / stercke vnd tröste / ihnen auch Leben vnd allerley Gaben vnd Güter austheile / vnd wider den Teuffel vnd wider die Sünde schütze vnd beschirme.

VIII. In altera Periodo, quã Symboli Apostolici, imò ipsius Scripturæ *θεοπνεύσεως* formam observavit Confessio, si quis virgulam censoriam voluerit adhibere, illi haud immeritò illud Tullianum responderi posset. *Hic herclè cornici oculum,* ut dicitur: Cic. in act. pro L. Flac.

IX. Tertiò quoque præmonendum est hujus articuli translationem *ὁμοιοῦσιν* esse. Non enim addita est *ἀντιθεσις* sive contrariæ doctrinæ condemnatio. Cujus duplex ratio reddi potest. Prima quòd tum Confessoribus cum Romana Ecclesia in hoc capite nihil omninò controversiæ erat: quin potius hanc de Christo Confessionem, utpotè totam ex Symbolo Apostolico desumptam, Romanenses publicè approbaverunt. Altera: quòd nulla quoque tum hæresis erat, cujus suspicionem à sese necessariò emolendam esse Confessores existimare poterant. Unde Protestantes Theologi in Articulis Schmalcaldicis Anno 1537. primam partem his concludunt verbis: *De his articulis,* inquit, (nempe de Deo uno & trino & de Filii Dei incarnatione) *nulla est inter nos & adversarios,* (intellige Pontificios. Nam *ἀλλοίωσις*, Zwinglii jam pridem à Luthe- ro, tanquam larva diaboli, damnata erat) *controversia, cum illos utrinq; confiteamur: quamobrem non est necesse, ut pluribus jam de illis agamus.* Et Bucerus in lib. de vera Ecclesiarum reconciliat: *De mysterio Trinitatis,* inquit, *de Incarnatione Verbi, de dua-*



ibus in Christo naturis, de unitate Persona nihil motum est inter Pontificios & Protestantes Theologos, &c.

X. Tum enim Jesuitarum ne nomen, imò ne umbra quidem extabat, nedum de inquietorum istorum hominum, Calvinistis succenturiantium, novo errore & apostasia à communi sententia Romanæ Ecclesiæ circa hoc doctrinæ caput, multis annis post secuta, quicquam constabat, ut ita quæ pars à sua confessione desciverit, facile res ipsa ostendat. Quandoquidem tempore exhibitæ Confessionis à Pontificiis in doctrina D. Lutheri de Christo, cujus hic articulus Synopsis & summa est, nihil fuit reprehensum, sententia ejus de communicatione reali & majestate Christi, in Articulo hoc ibidem præsupposita, non fuit impugnata, ideoquæ, ut diximus, Articulus hic III. Augustanæ Confessionis utrinquæ simpliciter sine ulla vel exceptione, vel limitatione approbatur. Quomodo verò hanc nostram doctrinam tum à Pontificiis, inquam, approbatam, allatraverint Jesuitæ, & in hunc usquæ diem hostiliter impugnent, testantur ipsorum disputationes & scripta publica. Defecerunt igitur Jesuitæ circa hoc doctrinæ caput in multis partibus à communi sententia Papistarum, tempore exhibitæ Confessionis cum nostris Ecclesiis consentientium, ut infra pluribus demonstrabimus, de hac ἀντιθεσί Jesuitarum acturi.

XI. Thesis autem Articuli hujus commodè bimembris potest constitui: quandoquidem Christus in statu duplici consideratur: 1. Humiliationis. 2. Exaltationis sive Gloriæ.

XII. Humiliationis status in genere Incarnationem & Passionem continet.

XIII. Incarnatio est opus Dei, quo λόγος novissimo mundi tempore in Judæâ homo factus est.

XIV. Dei opus esse Incarnationem dicimus, proindeque causam efficientem hujus Incarnationis Deum asserimus: quia λόγος factus est Homo de Consilio totius Trinitatis, quæ mysterii hujus actionem inchoavit, ut ea in Filio terminaretur, qui manens, quod erat, factus quod non erat, nempe manens
Deus,

Deus, factus est Homo, ut jam sit una Persona Deus & Homo :
Forma, Subjectum & materiam ex qua includens, ut & circum-
stantia temporis, in quo incarnatio illa facta est, cæteris de-
scriptionis verbis exprimitur nempe i. quod factus est Homo
in Judæâ, cum Maria vi Spiritus sancti immediatè operantis,
gravida fieret : Maria, inquam, virgo & sponsa intacta. Unde
conceptio hæc sine virili semine facta & sic miraculum stu-
pendum intelligitur.

XV. Hinc etiam Semen mulieris arguitur, cui virile non
sit admixtum. Sic enim primùm in genere facta est promif-
sio, Genes. 3. v. 15. *Semen mulieris conteret caput serpentis*; Specia-
lius deinde restricta fuit ad semen Abrahæ, postea ad Semen
Davidis; tandem ubi venit τὸ πλήρωμα τῆς χεῖρος ad determi-
natum individuum, carnem scilicet virginis τῆς χειροπω-
μῆος, ut ita prima promissio & ultima impletio accuratè con-
venirent, & sine virili semine Messias conciperetur & nasce-
retur.

XVI. Deinde quod novissimo mundi tempore incarna-
tio hæc facta est, imperante Cæsare Augusto sub quartâ Mo-
narchia, regnante in Judæâ Herode Alienigena, atquè sic sub-
lato sceptro à Judâ secundum Jacobi Patriarchæ vaticinium
aliorumquè vatum & Evangelistarum enarrationem.

XVII. Hæc omnia Augustana Confessio breviter com-
plexa ait: *Quod Verbum, hoc est, Filius Dei assumpsit humanam
naturam in utero Beatæ Virginis, ut sint due nature, Divina & Hu-
mana, in unitate Personæ inseparabiliter conjunctæ, unus Christus,
verus Deus & Homo.*

XVIII. Quæ verba sunt ἐξήγησις illius Joh. i. v. 14. *Ver-
bum Caro factum est.* Quæ sententia enucleatè ab Evangelista
posita, ponderatè à nobis accipienda est.

XIX. Primùm enim non dicit, *Deus est factus Caro*, ne
Trinitatis facta incarnatio putetur; nequè dicit *Christum esse
factum*

factum carnem. Hoc enim est nomen incarnati verbi, sed *Verbum* subjecti loco ponit. Et secundo de eo non prædicat, quod *factum sit*, quippe fuit in principio apud Deum, & verbum fuit ipse Deus; sed quod *factum sit Caro*; prædicato illo *Caro* non unam humanæ naturæ sive essentiæ partem, sed integram naturam, totam essentiam carne sive corpore & anima intelligens. Tertiò dicit, quod *Verbum carnem suscepit*, sive sibi junxerit, ne vulgaris fortè unio videretur, sed quod *factum sit Caro*, ut arctissimam verbi & carnis unionem exprimeret. Neq; quartò dicit *Verbum in carnem esse mutatum*. Fieri enim nequit, ut Deus mutetur, & Deus eò desinat, quod est, cum sit immutabilis: sed ita factus est caro, ut sit revelatus in carne, hocquè sit ὁμολογῶμεν ὡς μέγα μυστήριον, 1. Tim. 3. v. 16.

XX. Hæc ergò incarnatio, ut distinctè ac rectè intelligatur, considerandæ sunt: 1. Duæ in Christo naturæ. 2. Illarum unio. 3. Unionis illius consequens nempe communicatio partim Personæ & naturarum, partim Idiomatum.

XXI. Duas naturas Confessio & Scriptura expressè definit in Christo, nempe Divinam & Humanam.

XXII. Natura divina est, quam cum Patre & Spiritu sancto eandem habet: etiamsi tum secundum ὑπόστασιν, tum secundum officii spontè in se suscepti οἰκονομίαν ab utroquè distinguatur. Naturam ergò divinam in Christo dum dicimus, Personam non negamus: Λόγος ergò, qui incarnatus est, non ab incarnatione dicitur, ut Persona sit, sed ab æterno integra & perfectissima Persona fuit, quippe quæ suam αἰῶν ὑπόστασιν καὶ ἰδιοσύστατον ὑπόστασιν ab æterno habuit.

XXIII. Natura Christi divina duplici genere argumentorum probatur. Primum sumitur à Nominibus soli DEO competentibus. 1. Quia dicitur Filius Dei vivi Christus, non quidem gratiâ, sed naturâ, ideoquè ex essentia ejus unicus & solus ab æterno genitus est, nempe ad quem Jehova, Psal. 2. v. 7. inquit:

inquit: *Filius meus es tu, hodiè genuite.* Quam etiam ob causam Filius ipsius unigenitus *Job. 3. v. 16.* Patriq; ἐμὸς υἱός pronun-
ciatur *Job. 10. v. 30. 38. Job. 14. v. 9. 12. 10. Hebr. 1. v. 3.* II. Quia
ipsi essentiale DEI (*Exod. 3. v. 15. & 16. cap. 6. v. 3. Es. 48. v. 2.*)
nomen Jehova, quod aliàs nulli creaturæ (*Es. 42. v. 8.*) tribuitur,
Jer. 23. v. 5. Esaias videt majestatem Jehovæ *Es. 6. v. 1.* quod Johan-
nes expressè ad Christum refert. *c. 12. v. 41. & Locum illum Es. 45.*
v. 23. In memetipso juravi, de Christo loqui docet Paulus partim
Romanor. 14. v. 12. partim *Philipp. 2. v. 10. 11.* III. Quia expressè
dicitur DEUS in V. ac N. Testamento, *Psal. 45. v. 7. 8. Es. 35.*
v. 5. Dominus ipse veniet & salvabit nos &c. Quem locum ad
se refert Christus *Matth. 11. v. 5. Job. 1. v. 1. Act. 20. v. 28. Rom. 9. v. 5.*
1. Tim. 3. v. 16. 1. Johan. 5. v. 20. IV. Quia est unus & solus Do-
minus *1. Cor. 8. v. 6.* Dominus gloriæ *1. Cor. 2. v. 8.* de cælo *1. Cor.*
15. v. 47. Rex regum & Dominus dominantium, *Apoc. 17. v. 14.*
c. 19. v. 16. V. Quia dicitur æqualis DEO, *Phil. 2. v. 7.* VI.
Quia vocatur splendor gloriæ & imago substantiæ Patris.
Hebr. 1. v. 3.

XXIV. Alterum argumentorum genus sumitur partim ab
attributis divinis, partim ab operibus. Ab attributis quidem
I. ab Æternitate: quia Messiæ nostro æternitas tribuitur. Est
enim ab æterno genitus à Patre *Psal. 2. v. 7. Hodiè genuite.* Quod
hodiè & nunc non temporale sed æternum esse patet ex *Psal. 90.*
v. 4. II. Quia est Pater æternitatis *Es. 9. v. 6.* III. Quia
egressus ejus est à diebus æternitatis *Mich. 5. v. 2.* IV. Quia λόγος
ab æterno fuit apud Patrem, *Job. 1. v. 1.* V. Quia est primus &
novissimus, *Es. 44. v. 6.* Quod pro se citat Filius DEI, *Apoc. 1.*
v. 18. Deindè à cultu adorationis, qui soli DEO competit,
Matth. 4. v. 10. Deut. 6. v. 13. c. 10. v. 14.; Christo verò in scriptura
manifestè tribuitur. 1. Quia ipsum adorant Angeli, *Psal. 97. v. 7.*
quod *Heb. 1. v. 6.* de Christo dictum esse docetur. 2. Quia
omnes honorare debent Filium sicuti Patrem, *Job. 5. v. 23.* 3.
Quia aderatur à Cæco, *Job. 9. v. 39.* invocatur à Stephano,
Act. 7. v. 59. Conferantur *cap. 9. Act. v. 21. 1. Cor. 1. v. 2. Philip. 2.*
v. 10. Apocal. 5. v. 8. & 14.

B

25. Ar-



XXV. Argumenta ab operibus sumta I. in genere, quia eadem opera, quæ operatur Pater & ipse operatur, *Job. 5. v. 17. & cap. 10. v. 37.* & per miracula ejus gloria tanquam unigeniti à Patre conspecta est, *Job. 1. v. 14.* quibus certè non aliam virtutem, sed suam propriam gloriam manifestavit *Job. 2. v. 12.* II. In specie opera creationis, *Job. 1. v. 3. Colof. 1. v. 16.* opera conservationis, *Heb. 1. v. 3.* III. Quia est *καρδιογνωσις*, *Marc. 2. v. 8. Job. 2. v. 24. & 25. Apocal. 2. v. 23.*

XXVI. Humana in Christo natura est, quam nobiscum habet communem, constantem animâ rationali & corpore organico, quam integram & totam ex substantia Mariæ virginis in Personæ unitatem assumpsit Filius Dei. Distinguitur ergò à nostrâ tum subsistendi modo, tum sanctitate & integritate.

XXVII. Illâ. Non enim subsistit propriâ, sed τὸ λόγος assumptis *ὑποστάσι*: Qui non personam, sed naturam assumpsit, ut duab. quidem naturis, sed una duntaxat persona subsisteret Christus. Quod v. naturæ humanæ non imperfectione, sed maximam perfectionem arguit: quippe quæ tota & integra super naturalem subsistendi modum debilem & fragilem, imperfectissimam absolutissimamq; æterni & infiniti λόγος *ὑπόστασι* & sic longissimè super humanæ *ὑποστάσεως* statum & conditionem elevata & exaltata est, proindeq; perfectionem, omnem humanam & quæcumq; aliam excedentem acquisivit.

XXIIX. Vera in Christo Humanitas triplici probatur argumentorum genere. I. Quia disertè, verè ac propriè appellatur Homo, *Luc. 23. v. 47. 1. Tim. 2. v. 5.* II. Filius hominis *Psal. 8. v. 5. Daniel. 7. v. 13. Matt. 8. v. 20. c. 16. v. 13. Act. 7. v. 56. Heb. 2. v. 6. Apoc. 1. v. 13.* Filius Abrahæ, *Matt. 1. v. 1.* Filius & fructus Davidis, *2. Sam. 7. v. 12. Psal. 89. v. 36. 37. Psal. 132. v. 11. Matt. 1. v. 1. Luc. 20. v. 21. Act. 13. v. 23. Rom. 1. v. 9. 2. Timot. 2. v. 8.* Leo de tribu Juda, radix David, *Apoc. 22. v. 16.* Filius virginis Mariæ, & ex ea genitus, *Es. 7. v. 14. Matt. 1. v. 16. 20. 21. 23. 25. c. 2. v. 11. 20. 21. cap. 12. v. 46. Luc. 1. v. 31. c. 2. v. 48. cap. 8. v. 20. Job. 2. v. 3. cap. 19. v. 25. Act. 1. v. 14. Gal. 4. v. 4.* Semen mulieris, *Genes. 3. v. 15.* Semen Abrahæ, *Heb. 2. v. 16.* Ex Patribus secundum carnem, *Rom. 9. v. 5.*

XXIX. Secundum argumentorum genus à partibus ho-
 minis sumitur: quæ sunt essentialis & integrales. Essentialis
 sunt Anima rationalis & Corpus organicum. De Anima te-
 stantur subsequentiâ scripturæ loca. *Matth. 20. v. 28. cap. 26.*
v. 38. cap. 27. v. 50. Luc. 28. v. 46. Job. 10. v. 15. 17. 18. cap. 12. v. 27.
Act. 2. v. 27. 1. Johan. 3. v. 16. De Corpore organico extant te-
 stimonia, *Matth. 26. v. 26. cap. 27. v. 58. Marc. 14. v. 8. 22. cap. 15.*
v. 45. Luc. 22. v. 19. cap. 23. v. 52. cap. 24. v. 3. 23. Johan. 2. v. 22.
cap. 19. v. 38. cap. 20. v. 12. 1. Cor. 11. v. 24. Coloss. 1. v. 22. 1. Pet. 2.
v. 24. Integrales partes sunt vel similes, vel dissimiles.
 Similes sunt I. Caro, de qua testatur ipse Christus, *Luc. 24.*
v. 39. Johan. 6. v. 51. Rom. 1. v. 3. cap. 9. v. 5. Coloss. 1. v. 22.
1. Pet. 4. v. 1. II. Ossa, de quibus testantur *Luc. 24. v. 39.*
Johan. 19. v. 33. 36. Ephes. 5. v. 30. III. Sanguis, de quo loquun-
 tur dicta *Matth. 26. v. 28. Johan. 6. v. 54. cap. 19. v. 34. Act. 20. v. 28.*
Rom. 3. v. 25. c. 5. v. 9. 1. Johan. 1. v. 7. Hebr. 2. v. 14. cap. 9. v. 12. 14.
cap. 10. v. 19. 30. &c. Partes dissimiles sunt Manus, pedes,
 oculi, os, lingua &c. quarum passim quoq; in scriptura fit
 mentio. videatur *Apocal. 1. v. 14. 15. 16.*

XXX. Tertium argumentorum genus sumitur à Pro-
 priis Hominis & illorum consequentibus operationibus. *πάθος*
 & affectiones sive propria sunt. I. Quod profecerit sapien-
 tia. *Luc. 2. v. ult.* II. Grandior fuit in ætate virili, quàm
 puerili ac juvenili. III. Contristatus est & lachrymatus ac
 turbatus animâ, *Matth. 26. v. 28. Luc. 19. v. 41.* IV. Ad
 summam! Varii affectus verè humani passim in scripturis Chri-
 sto tribuuntur, quod sitiverit, esuriverit, defatigatus fuerit, am-
 bulaverit de loco in locum. Quos affectus complectitur *Epist.*
ad Heb. 4. v. 15. Non habemus Pontificem, qui non possit affici
 sensu nostrorum infirmitatum, sed tentatum per omnia, absq;
 peccato. Opera & effecta sunt, quod in statu exinanitionis di-
 citur intelligere, velle, eligere, loqui, docere, edere, bibere, abi-
 re, venire, fatigari, quiescere, pati, mori; in statu gloriæ sedere ad
 dextram Dei, conversari in cœlis Angelis beatis & hominibus,
 rediturus visibiliter ad iudicium &c. De quibus tota scriptura
 plena est.

XXXI. Concludimus ergo cum Symbolo Athanasij: *Est fides recta, ut credamus & confiteamur, quia Dominus noster Jesus Christus, Dei filius, Deus & homo est. Deus ex substantia Patris, ante secula genitus: & homo ex substantia Matris in seculo natus, perfectus Deus, perfectus Homo ex anima rationali & humana carne subsistens.* Adhuc de duabus naturis in Christo, distinctè consideratis.

XXXII. Sequitur alterum membrum de illarum *Unione*, quæ in Ecclesia dicitur *Hypostatica*. Ubi tenendum initio est, quod Unio sit ex numero illorum, quæ πρὸς ἑαυτὰς dicuntur. Quocirca duos habebit terminos sive extrema, proindeq̄ duplicem considerationem. Siquidem omnis relatio ad suos terminos respicit, & per illos fundatur, terminatur, explicatur. Termini illi sunt *Dua Nature & Persona* sive ὑπόστασις.

XXXIII. Modus unionis hujus respectu duarum naturarum orthodoxis ac emphaticis verbis, ordine quoq̄; ac distinctè explicatur decreto *Synod. Chalcedonensis*, quod extat apud *Zonaram Tom. 3. in vita Martiani Imperatoris fol. 139. & apud Euagrium lib. 2. cap. 4. fol. 134. Græc. 810. latin.* Ubi dicitur, quod hæc unio facta sit 1. ἀσυγχύτως citrà confusionem illarum naturarum. 2. ἀτρέπτως sine mutatione humanitatis in Deitatem sive conversione Deitatis in humanitatem: sed facta est unio illa inter duo, Divinam nimirum & Humanam naturam. 3. ἀδιαρέτως citrà divisionem. Per unionem enim illam humanitatem assumptam sibi propriam fecit λόγος. 4. ἀχωρίως indistanter. Ita enim duæ naturæ in Christo unitæ sunt, ut nullis neq̄; temporum, neq̄; locorum intervallis unquam separentur. 5. Facta est hæc unio salvis utriusq̄; naturæ proprietatibus. *Damas. lib. 3. de fid. cap. 17.*

XXXIV. Modus unionis respectu Personæ non est essentialis, qualis est unio animæ & corporis, constituens unam essentiam hominis; neq̄; est accidentalis sive contiguitatis, ut asser asseri conglutinatur & cum eo unum esse dicitur, neque est integralis, qualis unio tantum est inter partes quantitativas: manet ergo, modum hujus unionis esse hypostaticum & personalem, qua λόγος humanam naturam in unionem & communi-

municationem suæ personæ assumpsit, ita quidem, ut verbi hy-
postasis propria, facta quoq; sit ἡ ὁμοσις assumptæ naturæ.
Fundamentum hujus doctrinæ est 1. *Timoth. 2. v. 5.* 1. *Cor. 8. v. 6.*
Rom. 3. v. 3. & 4. *Luc. 1. v. 31. & 32.* Ecce, paries *Filium*, qui (ipse)
filius altissimi vocabitur. Hinc Maria mater Dei est, *ibid. v. 43.*
& Dominus gloriæ crucifixus est, 1. *Cor. 2. v. 8.* Et Christus ipse
de se, tanquam una persona, loquitur, *Joh. 9. v. 37.* *Filium DEI*
vidisti & qui tecum loquitur ipse est, &c. Hæc quoq; de *Unione.*

XXXV. Sequitur tertium membrum, quod agit de *Com-*
municatione, quæ est vel Personæ vel Naturarum. Personæ
Communicatio intelligitur ex modo unionis naturarum, re-
spectu personæ jam explicato: nempe quod sit ejusmodi com-
municatio, qua λόγος assumendo humanam naturam suam
propriam personam communicavit cum assumpta natura, ut in
ea reverâ subsistat. Quare licet humana natura non sit ἡ ὁ-
μοσις, est tamen, ut Patres locuti sunt, ἡ ὁμοσις Personata,
quippe quæ revera personam τῆς λόγος communicatam habet.
Cur igitur illi nihil ob hanc ἡ ὁμοσις κοιναίαν tribuendum
foret?

XXXVI. Communicatio naturarum in Persona Christi
est ejusmodi divinæ & humanæ naturæ σνωδύσις, quâ illa ad-
mirabili ἀειχωρήσει, circuminceptione ac immeatione pro-
fundissima, instar formæ, humanam naturam subsistentificat,
perficit, illamq; cum omnibus suis affectionibus sibi appro-
priat, adeo ut ex utraq; constituatur unum incommunicabile,
indeq; oriatur prædicatio, qua concretum unius naturæ de
concreto alterius naturæ verè dicitur, ut *Deus est homo*, item,
Filius Dei est filius hominis; & *Filius hominis est filius Dei.*

XXXVII. Fundatur Communicatio hæc cum illa in S.
Scriptura, *Coloss. 2. v. 9.* *In ipso (Christo) inhabitat omnis plenitudo*
Deitatis σνωατικῶς. Ubi ad duo attendatur: ad id, quod inhabitat
& ad id, in quo inhabitat. Id quod inhabitat est πλήρωμα τῆς θε-
ότητος: Id, in quo inhabitat, est Christus. E. ejus vel divina vel hu-
mana natura. Non illa. Tollitur enim discrimen inter inhabitans
& (ut sic loquar) inhabitatum dicereturq; divinitatem habitare

B 3 in di-



in divinitate & idem in se ipso: *ἀσε Φέσ. Ε.* hæc est, in qua illa plenitudo habitat, proptereaq; additur *σωματικῶς*, ut sit sensus: *Omnis plenitudo divina nature (sunt verba Hieronymi super hunc locum) in corpore ejus habitat.* Quo certè divinitatis cum humana Christi natura communicatio satis manifestè asseritur. Quandoquidem per hanc respectu divinæ naturæ nihil volumus, quàm possessionem, inhabitationem sive *κατοίκησιν* personalem in assumta carne. Quod etiam humana natura dici possit communicata cum *λόγω, λόγοςq;* humanæ naturæ verissimè factus *κοινωνός* ad sensum usq; patet ex illo Heb. 2. v. 11. *Sicut pueri communicant carni & sanguini, ita similiter Deus participat iisdem.* Ubi sententia nostra habetur in terminis, proindeq; uberiore explicatione non indiget.

XXXIIX. Ex Communicatione hæc fluit Prædicatio, quam personalem vocant, qua concretum unius naturæ prædicatur live dicitur de concreto alteri, ut *Deus est homo. & Homo est Deus. Filius Dei est Filius hominis.* Atq; prædicatio hæc non est verbalis, sed realis: non est figurata, sed propria, non *συνώνυμος* seu univoca, sed *παράνυμος* & denominativa, sed inusitata.

XXXIX. Unionem hypostaticam, personæq; & naturarum communicationē necessariò sequitur communicatio idiomatum, quæ est, *κοινωνία κατὰ συνδύασιν*, qua id, quod proprium est unius naturæ communicatur cum altera per & propter mutuam consociationem. Ubi notetur, quod dicamus communicationem illam esse *κατὰ συνδύασιν*. Non enim est *κατὰ μετέχου*, quæ vel Logica est, quando id, quod dicitur *μετέχειν* participare, recipit *τὸ μετεχομῆς* seu ejus, quod participat, definitionē. Hoc modo proprietates divinas carni communicabiles affirmare, Eutychianum est; vel Physica, quando aliquid ex uno subiecto in aliud transfertur. Qui hoc modo idiomata divina humanitati communicata esse asserit, concedat oportet divinas illas proprietates humanæ naturæ subjectivè inherere. Quo inferrur idiomatum negatio & naturarum confusio &c.

XL. Cæterùm ad distinctam veræ sententiæ cognitionem tres realis idiomatum communicationis gradus sunt observandi: qui continent partim mutuam naturalium proprietatum

tatum αὐτῶσιν; partim κοινωνίαν ἐνεργειῶν καὶ ἀποτελεσμάτων.

XLI. Mutuam proprietatum naturalium αὐτῶσιν continent ἰδιοποίησις & μετέδοσις.

XLII. Ἰδιοποίησις five ἰδιοποίησις ἢ οἰκείωσις (quæ appropriatio à Veteribus dicta, *Arbanas. in Ep. ad Epiet. fol. 457.* & est primus gradus in Formula concordæ) est, quando in unione duarum disparatarum naturarum, & quidem in specie in doctrina de Persona Christi, divinæ & humanæ naturæ, unius proprium, alterius proprietati contradicens propter unionem toti tribuitur σὺνδυστάξιν in concreto: ubi in explicatione distinguens adhiberi particula consuevit, ut *Deus est passus secundum carnem: Christus est æternus & infinitus secundum divinam naturam.* Distinctivarum harum particularum in sacris quinque potissimum inveniuntur. 1. Κατὰ, *Act. 2. v. 30. Rom. 11. v. 3. Rom. 9. v. 5.* 2. Ἐν, *1. Pet. 4. v. 1. & cap. 3. v. 18. Eph. 2. v. 14.* 3. Ἐξ, *2. Cor. 13. v. 4.* 4. Διὰ, *Heb. 10. v. 1.* 5. Ὅτι, *Joh. 5. v. 27.*

XLIII. Μετέδοσις in Formula Concord. tertio loco ponitur; nos verò hic ordinem naturæ nec non *Damas. lib. 3. c. 2.* sequimur. Est autem communicatio, quæ propter arctissimam unionem personalem humiliori nempe humanæ naturæ præter naturales suas proprietates, quas retinet, sublimioris h. e. divinæ naturæ, idiomata & majestas divina communicatur, ut sublimior veluti primaria causa efficiens in humiliore cum ea & per eam virtutem suam exercent.

XLIV. Vi ergò hujus communicationis humanæ Christi naturæ præter finitam potentiam, scientiam, vitam, præsentiam, dignitatem, quæ ratione speciei, quatenus humanitas sive homo, excellentiori tamen gradu, quàm cæteri homines, obtinet, divina & infinita majestas data est. Et distinguitur hic Communicationis gradus à præcedente: quod in illo de natura utraque suam cujusque proprium ὡς πρῶτον de Persona, ὡς καὶ ἄλλο propter illam naturam enunciatur: in hoc vero secundo propria sublimioris naturæ de ipsa veluti DANTE, ὡς πρῶτον, de altera tanquam ACCIPIENTE, ὡς καὶ ἄλλο per unionis gratiam verè prædicatur.

XLV. Species Majestatis divinæ, immediatè carni assumptæ communicatæ numerantur in sacris septem. I. Omniscientia *Job. 15. v. 31. c. 21. v. 17. Colos. 2. v. 3. Es. 11. v. 1. 2. Job. 3. v. 3. Job. 2. v. 24. 25. Matth. 22. v. 18. Job. 5. v. 27.* II. Omnipræsentia *Psal. 71. v. 8. Psal. 110. v. 2. Eph. 4. v. 10.* qui locus conferatur cum illo *Jerem. 23. v. 24.* III. Omnipotentia. *Matth. 28. v. 28.* Quia etiam Mediator noster est secundum humanam naturam; oportet igitur secundum eandem sit omnipotens. IV. Potestas remittendi peccata, *Matth. 9. v. 6. Marc. 2. v. 11. Luc. 5. v. 24. Matth. 26. v. 28. Rom. 5. v. 15.* V. Virtus vivificandi, *Johan. 6. v. 51. 53. 1. Cor. 15. v. 21. 45.* VI. Potestas exercendi iudicium. *Psal. 96. v. 13. Matth. 16. v. 27. Job. 5. v. 22. Act. 17. v. 31.* VII. Cultus Adorationis *Psal. 97. v. 8. Heb. 1. v. 6. Es. 11. v. 10. Apocal. 22. v. 16. Matth. 2. v. 11. Matth. 9. v. 27. Luc. 13. v. 38. Matth. 5. v. 22. Luc. 17. v. 13. Job. 20. v. 26. Philip. 2. v. 9. 10. 11. Psal. 72. v. 9. 10. 11. 12. Daniel. 7. v. 14. Apocal. 5. v. 13.*

XLVI. Hactenus de κοινωνίας gradibus mutuam naturalium proprietatum ἀντίδοσιν continentibus; sequitur gradus continens κοινωνίαν ἐνεργειῶν καὶ ἀποτελεσμάτων, qui in Formul. Concord. secundum obtinet locum, & aliàs dicitur κοινωποιᾶ ἢ κοινοποιήσις *Cyrill. Ep. 29. Tom. 2. fol. 33.* Est autem Communicatio, qua operationes toti tribuuntur complexo, h. e. toti Christo secundum utramq; naturam, propterea quod utraque natura ad unum ἀποτέλεσμα producendum, quod suum est, non separatim, sed conjunctim, cum alterius communicatione agit & efficit. Unde hic distinctivis particulis opus non est, ut *Christus expiat peccata hominum: Christus est mediator inter Deum & homines.* Hinc Canon Leonis à Chalcedonensi Synodo approbatus: *Ultraq; natura agit cum communicatione alterius id, quod cujusq; est proprium.* Nam utriusq; naturæ operatione concurrente unum efficitur ἀποτέλεσμα θεαυδρικόν, ut *Damas.* loquitur.

XLVII. Ad hoc genus communicationis πρώτως referuntur omnia ea, quæ ad officium Mediatoris pertinent. Deinde δεύτερωσ omnia miracula & quæcūq; ἐνεργεῖαι θεαυδρικαί.
Ex

Ex prioribus colligitur Christum esse Mediatorem secundum utramque naturam. De divina id natura probatur, *Es. 35. v. 4. Ipse (Dominus) veniet & salvabit nos. Jerem. 23. v. 6. cap. 32. v. 16. Os. 1. v. 7. Act. 20. v. 28. Rom. 5. v. 10. cap. 8. v. 3. & 32. Galat. 4. v. 4. 1. Joh. 1. v. 7. cap. 3. v. 8. Heb. 4. v. 14. de Humana, Gen. 3. v. 15. cap. 12. v. 3. 12. 18. cap. 22. v. 18. Jerem. 23. v. 5. cap. 33. v. 15. Matth. 9. v. 6. Luc. 9. v. 56. Rom. 5. v. 15. 1. Tim. 2. v. 5. Miracula quoque huc pertinere diximus. Nam nudus homo illa edere non potuit, *Johan. 3. v. 2. Act. 20. v. 38. Nihilominus in edendis illis non secundum divinam naturam immediatè operatus est Christus, sed corpore atque membris externis uti voluit atque ita per suam humanam naturam miracula edere. Matth. 8. v. 3. cap. 9. v. 25. Luc. 2. v. 14. Quare verè illa toti adscribuntur Christo secundum utramque naturam.**

XLVIII. Reliqua capita, cum primis ad statum exinanitionis pertinentia, sunt: 1. Passio Christi. 2. Mors Christi. 3. Sepultura Christi.

XLIX. De Passione tenendum, quando indefinite passus esse Christus dicitur, non extremum duntaxat triduum illud intelligitur, sicut in Symbolo, quo Judicis addita mentio habetur, Pontii Pilati; sed universæ, quas tota vita pertulit, afflictiones, quæ innumeræ fuerunt, accipiendæ sunt, externæ partim, partim internæ. Exemplum verò Symboli Apostolici imitata Confessio speciem Passionis præcipuam exprimit, quæ fuit in supplicii genere, quod mortem Christo attulit, scilicet crucifixio. Romanum hoc genus supplicii fuit, quod in honorem Christi crucifixi sub Constantino Imperatore ex universo Imperio Romano & orbe Christiano sublatum scribitur.

L. De Morte tenendum est, quod oportuit Christum mori non tam quia sic prædictum fuit, occisum iri Messiam, *Daniel. 9. v. 26. Quam ut peccando mortem homo meritus, æquivalente pretio reddito, nihil deesse redemptioni nostræ intelligeret. Porro ubi Testamentum est, mors testatoris intervenire necesse est. Testamentum in mortuis ratum esse Scri-*

C

ptura



ptura docet, *Heb. 9. v. 16. 17.* Fœderis ergò Novi valorem morte Christi stabiliri etiam necesse fuit.

L I. Sepeliri quoquè debuit Christus: I. Ut hinc quoquè assumptæ naturæ mortisq; obitæ veritatem ostenderet: quam obrem Pilatus non prius corpus ad sepulturam concessit, quàm exploratam & compertam haberet ejus mortem, *Marc. 15. v. 15.* II. Ut Typus Jonæ impleretur, *Matth. 12. v. 39.* III. Ut in ipso sepulchro tanquam mortis habitaculo, corpus suum à corruptione asserens, gloriosiore, illâ superata, triumphum deportaret, *1 Cor. 15. v. 55.* IV. Ut nequè mors, nequè sepulchrum, mortis Christi vivificæ odore perfusum & veluti suffitu lustratum, nobis post hæc terrorem incuterent. Et V. denique ut veterem hominem cum Christo sepeliendum perennemquè illum Sabbatismum hic inchoandum esse admoneremur, *Roman. 6. v. 4. Coloss. 4. v. 12.*

L II. Cæterùm in statu *Exaltationis* quatuor compræhenduntur capita: 1. *Descensus Christi ad inferos.* De quo tria cumprimis teneantur: Primum non Metaphoricum, sed realem descensum Christi ad inferos intelligendum esse, quo nimirum ad inferiores partes terræ descendit & ipsas damnatorum sedes adiit Christus, *Ephes. 4. v. 9.* Deinde illud Augustini: Totum Christum fuisse in Cælo, totum in terra, totum in cruce, totum in inferno. Tandem non passionis & humiliationis, sed victoriæ & triumphis esse istum Articulum.

L III. Alterum est *Resurrectio CHRISTI*, qua testatus est Christus, se morte mortisque imperio, divina sua potentia superato, vivere Deo in æternum, *2. Cor. 13. v. 4. Rom. 6. v. 9. 10. cap. 14. v. 9. 1. Pet. 3. v. 18.* Huc pertinent miracula post resurrectionem à Christo facta: quæ naturæ nostræ repugnat, non simpliciter, sed quâ status gloriæ, mortali nostræ naturæ statui opponitur.

L IV. Tertium Caput est *Ascensio Christi in Cælos*, cum legationis à Patre sibi demandatæ munere perfunctus in cœleste sacrarium ingressus est, ubi non ut Typicus Pontifex coram arcâ, sed coram ipso Deo comparens gloriam suam magis
magis-

magisque testatur. Etsi verò τὸ ἀσπένδερν, sicuti τὸ δέσπένδερν in scripturis aliquando figuratè usurpetur de DEO: hìc tamen propriè de Loci mutatione, & ab inferiore ad superiorem migrationem intelligendum est. Ita tamen ascendit Christus, ut omnia impletet *Eph. 4. v. 10.* & ut ad dextram Patris confederet in excelsis, accepta potestate omni, quæ est in cœlo & in terra, *Heb. 1. v. 3. Matth. 28. v. 18.*

LV. Quartum itaq; & ultimum caput est *Sessio Christi ad dextram DEI.* Ubi notetur, quod *sedere ad dextram DEI* est communicatà illà glorià Majestatis divinæ frui & consortem ac participem imperii ac potentiæ illius esse non ex parte, sed universè ac plenariè. Vel *sedere ad dextram Dei* est omnipotenti imperio omnibus dominari & imperium illud universale in res universas potenter exercere. Quæ descriptio respondet verbis Augustanæ Confessionis: *ut perpetuò regnet & dominetur omnibus Creaturis, sanctificet credentes in ipsum, misso in corda ipsorum Spiritu sancto, qui regat, consoletur, & vivificet eos ac defendat adversus diabolum & vim peccati.*

LVI. Qui effectus divini cum ab A. C. tribuuntur Christo, quatenus ascenderit in cœlum sedeatq; ad dextram DEI, liquet, eos humanitati tribuendos esse. Constat enim ipsam in cœlum ascendisse, sedereq; ad dextram Dei secundum humanam naturam. Divinitas enim habet ab æterno divinam gloriàm & potentiam *Joh. 17. v. 5.* ut opus enim sit in tempore illi dari, proindeq; Christus ad dextram DEI Patris exaltatus gubernet omnia divina potentia Deitatis propria & humanitati communicata.

LVII. Quæ tandem de reditu Christi ad iudicium adduntur, simplicem habent intellectum. Nam sicut visibiliter (*Act. 1. v. 11.*) in cœlum ascendit Christus; ita etiam visibiliter ad iudicium est venturus. Quam ob causam etiam redit⁹ hic in scriptura vocatur ἀποκάλυψις revelatio. *2. Thess. 1. v. 7. 1. Pet. 1. v. 7. cap. 4. v. 13.* & Ἰπιφάνεια illustratio sive manifestatio, *2. Thessal. 2. v. 8. Tit. 2. v. 13.*

§8. Ad-

LIIX. Admodum autem jejunum est ex visibili adscensu
in cœlum, & ex eo reditu negare velle divinam Christi præsen-
tiam vel potentiam vel gratiam: cum & ascensus & reditus intel-
ligi debeant pro ratione exaltationis. Perindè (inquit Men-
zerus in A. C.) ac si quis dicere vellet: Christus est exaltatus
ad cœlestem gloriam & majestatem. E. non potest adesse præ-
sens in terris ac imprimis in Ecclesiâ. Scriptura certè semper
absq; ulla exceptione adscensum Christi in cœlum accommo-
dat ipsius gloriæ & potentiam & divinos effectus ex eo deducit
*Marc. 16. v. 19. 20. Act. 2. v. 33. 36. cap. 3. v. 15. 16. Eph. 1. v. 20. 21. cap. 4.
v. 10. 11. &c.* Igitur (concludit rectè Menzerus) Spiritui san-
cto contradicunt, qui inde volunt inferre infirmitatem
atq; impotentiam. Adhuc vera sententia
Articuli tertii Augustanæ
Confessionis.

SOLI DEO GLORIA.

Dum pia de Christo retinet sua dogmata majus
Nil quod Christianus gaudeat orbis habet.
Blasphemè verò, quæ passim seminat orcus
Christiadum ubertim cur fleat orbis habet.
Sed benè! Dum crocitant cornicanturq; cohortes
Furvæ illæ, quondam quæ voret orcus habet.
Te Corvum intereà Corvis committimus istis:
Quos verbi diâ voce retunde fies!
Sic talem Corvum mirentur pulpita! Certè
Non paucis fueris (ominor?) alter olor!

*ἔννοιας καὶ Φιλίας ἕνεκα
deproperabat*

*Christophorus Meelfuhrerus
Onoldo-Francus.*

99 A 6900

ULB Halle 3
002 622 092





SB

Retra

VD 77







DISPUTATIO QUINTA
In Augustanam Confessionem

continens

ΘΕΣΙΝ ARTICULI III.

De
CHRISTO,

Proposita

In almâ VVittebergenſium Academia,

P R Æ S I D E

JACOBO MARTINI, S.S. Th.

Doctore & Professore Publ.

R E S P O N D E N T E

JOHANN E R A B O

Weiffenbronnâ-Franco.

*Habebitur in Auditorio Collegii veteris
ad diem 7. Septemb.*



W I T T E B E R G Æ

Typis Hæredum SALOMONIS AVERBACH,
ANNO M DC XXVIII

